

DE PAPATU MATERIALI PARS SECUNDA: ELUCIDATIO THESEOS

SECTIO PRIMA

RECAPITULATIO ARTICULI PRÆCEDENTIS

In articulo præcedenti (*Sacerdotium?*) vidimus distinctionem a theologis factam inter successionem *formalem* et *materiale*. Formalis est successio in sedem apostolicam *cum auctoritate apostolica*, materialis vero est mere *nuda possessio sedis*, id est, sine auctoritate. Item vidimus necesse esse ut Ecclesia Catholica continuatatem apostolicam et formalem et materialem habeat, ut apostolicitatem adequate retineat. Auctoritas apostolica non potest accipi nisi in subiecto qui apostolicam sedem legitime retineat. Insuper Ecclesia, ut una et unica sit, debet unitate non solum formaliter gaudere, puta in iis quæ pertinent ad doctrinam et missionem divinam a Christo acceptam, sed etiam unitate materiali, ut unum et unicum corpus morale sit a tempore Sancti Petri usque ad adventum secundum Domini Nostri Jesu Christi. Hæc unitas materialis exigit ut sit linea non interrupta successorum legaliter designatorum in sedem auctoritatis supremam. Ergo ut apostolicitas et unitas Ecclesiæ serventur, necesse est ne umquam rumpatur continuum materiale successorum, id est, successio eorum qui legitime et legaliter, per designationem legalem, possident sedes auctoritatis.

Distinguendum ergo est inter successionem apostolicam materiale quæ est *legitima* seu *legalis*, et illam quæ est *illegitima* seu *illegalis*. Illa obtinetur per designationem legalem ab eo qui ius designationis habet; hæc obtinetur solum per intrusionem, puta in casu schismaticorum qui, auctoritate Romani Pontificis spreta, sedes episcoporum omnino illegitime occupant. Succedunt quidem in quasdam sedes apostolicas, sed illegitime et illegaliter, et inquantum sic non possunt auctoritatem accipere.¹

His dictis sequens schema propono successionis apostolicæ:

illegitima = nuda possessio
sedis sine electione canonica
(conditio schismaticorum orientalium)

materialis = possessio
sedis sine auctoritate

¹ Episcopi schismatici autem cum resipiscant et cum Roma reconciliari querant, in genere ab Ecclesia accipiuntur tamquam episcopi, i.e., retinent dioeceses, una cum clero, religiosis, et fidelibus.

legitima = nuda possessio
sedis cum electione canonica
(conditio hierarchiæ Novi Ordinis)

Successio apostolica

successio
apostolica
legitima

formalis = possessio sedis
cum auctoritate

In articulo præsenti, thesin, quod “papæ” inter et post Concilium Vaticanum II non sunt papæ formaliter sed mere materialiter, demonstrare mihi propono. Ad quod propositum necesse est, distinctione iam demonstrata inter successionem formalem et materialem, disquirere de quibusdam notionibus præviis: (1) de auctoritate concrete sumpta, (2) de parte formalis auctoritatis, (3) de parte materiali auctoritatis, (4) de coniunctione earum, (5) de possibilitate seiungendi ea, et (6) de causis quæ coniunctionem eorum prohibent. Qua disquisitione facta, thesin proponam et ad obiectiones respondebo.

SECTIO SECUNDA

NOTIONES PRÆVIÆ

I. DE AUCTORITATE CONCRETE SUMPTA, SEU DE PAPA VEL REGE

1. Auctoritas potest sumi aut in suo conceptu formalis aut concrete.

Ne confundantur termini, distinguendum est primo inter auctoritatem consideratam in se, e.g., ipsam potestatem regiam vel papalem, et auctoritatem consideratam in concreto, e.g., regem vel papam.

2. Auctoritas concrete sumpta consistit in composito quod oritur ex coniunctione duarum partium, nempe materiæ et formæ, per analogiam ad rem substantialem. Materia prima est *subiectum primum cuiusque rei, ex quo, cum insit, fit aliquid et non per accidens*. Forma substantialis est *actus primus una cum materia prima unum per se constituens seu id quo res determinatur ad certum modum essendi*. Causa materialis est *id ex quo aliquid fit*. Causa formalis est *id quod materiam determinat, certoque modo perficit*. Forma accidentalis analoga est ad formam substantialem inquantum substantia cui accidens inhæret fit materialis quoad formam accidentalem

quæ eam perficit. Forma substantialis dat esse simpliciter; forma autem accidentalis non dat esse simpliciter, sed esse tale.

Ut compositum (in hoc casu rex seu papa) producatur, necesse est ut forma recipiatur in materia apta et disposita ad eam recipiendam. Ratio est quod partes secum uniri non possunt, atque compositum efformare, nisi proportionem inter se habeant. Sanctus Thomas dicit: “Debita proportio materiæ ad formam est dupliciter, scilicet per ordinem naturalem materiæ ad formam, et per remotionem impedimenti.”²

Unde evidens est quod auctoritas concrete sumpta (e.g., rex vel papa) constituitur ex materia, qui est homo, et forma quæ consistit in facultate legis ferendæ qua aliquis constituitur subditorum superior. Sed non quivis homo disponitur ad talem formam accidentalem accipiendam, sed solum ille qui omnes perfectiones requisitas habeat ad formam accidentalem auctoritatis accipiendam. Si deficiat ordo naturalis materiæ ad formam, sive adsit impedimentum, materia et forma non possint coniungi.

Exempli gratia, puer vel demens, quamvis homo sit et ergo per ordinem naturalem ad auctoritatem dispositus, non disponitur ad auctoritatem accipiendo propter impedimentum, quod dispositione intellectuali eget ad bonum commune promovendum. Similiter qui non est civis cuiusdam nationis non potest eius esse caput, quia impossibile est ut is qui non sit membrum corporis sit eius caput. Similiter si laicus vel merus sacerdos ad papatum eligitur qui episcopalem consecrationem recuset, non potest auctoritatem accipere, quia eget perfectione necessaria ad bonum commune Ecclesiæ promovendum.

Ergo manifestum est quod certæ dispositiones seu formæ accidentales quæ hominem perficiunt necessariæ sunt ut homo fiat materia proxima ad formam auctoritatis accipiendam.

II. DE AUCTORITATE FORMALITER SUMPTA

3. Theologi et philosophi communiter definiunt auctoritatem ex notione legis. Communis definitio auctoritatis ergo est *facultas legis ferenda*. Is qui auctoritate gaudet ius habet obligandi subditos ad aliquid agendum vel vitandum. Notio ergo auctoritatis ex notione legis sumi debet, inquantum facultas specificationem sumit ex suo actu et obiecto.

4. Notio legis secundum S. Thomam. Lex definitur a S. Thoma *ordinatio rationis ad bonum commune ab eo qui curam communitatis habet, promulgata*.

Lex pertinet ad id quod est principium humanorum actuum, ex eo quod est regula et mensura. Sicut autem ratio est principium humanorum actuum, ita etiam in ipsa ratione est aliquid quod est principium respectu omnium aliorum. Unde ad hoc oportet quod principaliter et maxime pertineat lex. — Primum autem principium in operativis, quorum est ratio practica, est finis ultimus. Est autem ultimus finis humanæ vitæ felicitas seu beatitudo, ut supra habitum est. Unde oportet quod lex maxime respiciat ordinem qui est in beatitudinem. — Rursus, cum omnis pars ordinetur ad totum sicut imperfectum ad perfectum; unus autem homo est pars communitatis

² In lib. IV Sent., Dist. XVII q.1, a. 11, sol. 2 c.

perfectæ: necesse est quod lex proprie respiciat ordinem ad felicitatem communem. Unde et Philosophus, in præmissa definitione legalium, mentionem fecit de felicitate et communione politica. Dicit enim, in V Ethic., quod *legalia iusta dicimus factiva et conservativa felicitatis et particularum ipsius, politica communicatione*: perfecta enim communitas civitas est, ut dicitur in I Polit.

In quolibet autem genere id quod maxime dicitur, est principium aliorum, et alia dicuntur secundum ordinem ad ipsum: sicut ignis, qui est maxime calidus, est causa caliditatis in corporibus mixtis, quæ intantum dicuntur calida, in quantum participant de igne. Unde oportet quod, cum lex maxime dicatur secundum ordinem ad bonum commune, quodcumque aliud præceptum de particulari opere non habet rationem legis nisi secundum ordinem ad bonum commune. Et ideo omnis lex ad bonum commune ordinatur.³

Finis autem legis est bonum commune.⁴

Lex ordinatur ad bonum commune.⁵

Iniustæ autem sunt leges dupliciter. Uno modo, per contrarietatem ad bonum humanum...Et huiusmodi magis sunt violentiæ quam leges....Alio modo leges possunt esse iniustæ per contrarietatem ad bonum divinum.⁶

Ideo secundum S. Thomam et scholasticos in genere, lex ordinem essentiale habet erga bonum commune, ita ut, si hic ordo desinat, item desinat vis obligandi legis et ipsum nomen legis.

5. Definitio auctoritatis. *Auctoritas est facultas moralis in illa persona, seu individua seu collectiva, quæ curam habet communitatis, ferendi, promulgandi, et exsequendi ordinationes particulares quæ sunt vel necessariae vel utiles ad promovendum bonum commune.* Hæc definitio cum illis fere omnium scholasticorum congruit. Zigliara sic definit auctoritatem: *potestas seu facultas seu ius gubernandi rem publicam.* Billot: *potestatem politicam dicimus illam qua regitur populus in finem tranquillitatis et prosperitatis.* Meyer: *ius societatem civilem ad suum finem dirigendi.* Liberatore: *ius gubernandi rem publicam.* Taparelli: *chiamo autorità un diritto di render obbligatorio ciò che sarebbe puramente honesto.* Schiffini: *Ius obligandi membra civitatis quoad finem eiusdem assequendum.* Cathrein: *ius obligandi membra societatis ut ad bonum commune suis actibus co-operentur.*

His ex dictis sequitur auctoritatem sic definitam debere in genere facultatis ponni. Ergo in quantum est facultas, speciem seu definitionem sumit ex obiecto formalis. Obiectum formale et primarium autem facultatis auctoritatis est latio, promulgatio et exsecutio legum. Obiectum autem formale legis est promotio boni communis. Ergo per medium legis, auctoritas necessario, intrinsece et essentialiter ordinatur ad promotionem boni communis. Sequitur ut ille qui auctoritate gaudeat debeat intentionem habitualem promovendi bonum commune habere, alioquin

³ Ia IIæ q. 90 a. 2 c.

⁴ Ia IIæ q. 96, art. 1, c.

⁵ Ia IIæ q. 96 art. 3, c

⁶ Ia IIæ q. 96, art 4, c.

auctoritatem non possit habere. Intentionem *habitualis* habere debet, quia, ex natura sua, auctoritas ecclesiastica vel civilis est ius permanens, et non mere transitorium vel “per modum actus” quod invenitur, exempli gratia, in sacerdote sine iurisdictione habituali qui tamen moribundum absolvit. Intentio promovendi bonum commune insuper debet esse obiectivum, non mere subiectivum. Aliis verbis, non sufficit ut is qui auctoritate gaudet intendat sua voluntate bonum commune communitatis, sed insuper bonum quod intendit debet esse verum et obiectivum bonum commune. Ratio est quod lex definitur *ordinatio rationis ad bonum commune*. Ergo ut voluntas superioris obliget in conscientia, necesse est ut *obiective* intendat bonum commune. Alioquin definitio legis non adimpletur. Qua ratione lex quæ contradicit legi superiori non obligat in conscientia; est mala lex, cui omnes resistere debent, et in tali casu superior non habet auctoritatem neque ius *talis* legis ferendæ.

6. Auctoritas essentialiter ordinatur ad bonum commune. In condenda societate, homines adunantur ad aliquid unum communiter agendum.⁷ Hoc “unum agendum” nihil aliud est quam bonum commune societatis. Et quia bonum unum est, naturale et ergo necesse est ut multitudo hominum qui se in societatem coniungunt unam personam designet — vel physicam vel moralem — qui curam habeat totius communitatis *ut ducat totam communitatem ad suos fines proprios seu ad bonum commune*.

Potestas regia, ergo et rex, definiuntur ex facultate legis ferendæ, quæ mutuo definitur ex suo ordine ad bonum commune. Auctoritas ergo essentialiter ordinatur ad bonum commune mediante lege, cuius latio est obiectum formale auctoritatis.

7. Omnis auctoritas ex Deo provenit. Omnis auctoritas fundatur in auctoritate Dei, in ipsa providentia Dei, qua ordinat et promovet omnia ad suos fines infallibiliter. Hæc *facultas legis ferendæ* in rege est mera participatio in ipsa providentia Dei et in lege æterna, qua omnia reguntur.

Latio legis a rege facta est mera participatio in ipsa divina actione lationis legis æternæ, ex qua lex humana derivat suam vim obligandi. Oboedientia quæ datur et debetur legi humanæ est indirecte oboedientia ipsi Deo, ex quo lex suam vim obligandi accipit. Fundamentum ergo primarium relationis *rex-subditus* est ipsa Providentia Dei, cui in quantum est Creator et Summum Bonum et Ultimus Finis omnis creaturæ tota oboedientia debetur.

Hæc relatio *rex-subditus* provenit ex Deo, non ex communitate; nihilominus requirit ut communitas designet legaliter, seu in nomine totius communitatis, aliquem qui potestatem regiam accipiat.

8. Potestas regia producit mutuas relationes. Potestas legis ferendæ, quæ est potentia activa, est id quo quisquam constituitur rex. Invicem obligatio oboediendi legi est id quo quisquam constituitur subditus. Rex seu possessor potestatis regiæ refertur ad totam communitatem tamquam promotore boni communis. Tota communitas invicem refertur ad promotorem boni communis tamquam promota ad bonum. Rex ius legis ferendæ habet quia in eum Deus infundit ius promovendi communitatem ad bonum commune. Subditi obligationem habent oboediendi, quia Deus in eos officium oboediendi legislatori infundit. Ergo fundamentum relationis *rex—subditus* est *primario* ipsa Omnipotentia et Providentia divina, et *secundario* infusio potestatis regie in ipsum regem et respondentis officii in

⁷ “Societas nihil aliud esse videtur quam adunatio hominum ad aliquid unum communiter agendum.” (S. Thomas, *Contra Impugnantes Dei Cultum ac Religionem*, c. III).

subditos. Ille igitur fit rex qui (1) designationem legalem accipiat a tota communitate ut promoveat bonum commune, et (2) infusionem auctoritatis a Deo accipit.

Cum ergo societas “generat” regem, inquantum aliquem designat qui bonum commune promoveat totius communis, duæ relationes mutuæ efficiuntur, sicut in generatione naturali: ex una parte generatur rex qui constituitur rex relatione auctoritatis erga subditos, et ex altera parte generantur subditi, qui constituuntur subditi relatione subiectionis erga regem. Quia rex “generatur” solum in ordine ad bonum commune, sequitur relationes auctoritatis et subiectionis perdurare solum inquantum ordo ad bonum commune perdurat, ita ut, remoto ordine ad bonum commune, removeatur relatio.

Ergo ille qui intendit promulgare errorem vel disciplinas nocivas non potest esse verus papa, quia bonum veritatis in fide et moribus *essentialis* est missioni Ecclesiæ a Christo collatæ.

9. Conditiones ad potestatem regiam accipiendam. Recolamus effatum Sancti Thomæ de necessitate proportionis inter materiam et formam quæ in unum compositum debent efformari: “*Debita proportio materiae ad formam est dupliciter, scilicet per ordinem naturalem materiae ad formam, et per remotionem impedimenti.*” Potestas regia ergo non potest accipi, etiam in illo qui designationem legalem habet, nisi adsit *ordo naturalis materiae ad formam*, et absit *impedimentum*. Altera disproportionis non potest amoveri, nempe ea quæ oritur ex impedimentis physicis, sed altera potest amoveri, nempe ea quæ oritur ex impedimentis moralibus. Per disproportionem ordinis physici ergo amentes et feminæ, non possunt potestatem papalem accipere, quia *physice* impediuntur ne potestatem accipient. In his casibus adest disproportionis permanens, nec etiam designationis validæ capaces sunt. Per impedimentum ordinis moralis autem illi non possunt accipere potestatem papalem qui aliquam obicem moralem, *voluntariam* et *amovibilem*, ponunt, exempli gratia: recusatio consecrationis episcopalis, vel intentio docendi errores vel promulgandi disciplinas generales nocivas, vel recusatio baptismatis (in casu electionis catechumeni, puta S. Ambrosius in sedem episcopalem mediolanensem).⁸ Eadem sunt capaces designationis validæ, quia impedimentum amovibile est, sed auctoritas a Deo non infunditur donec removeatur impedimentum. Ratio est quod non sunt capaces promovendi bonum commune inquantum obicem non removent. Et quia impedimentum est morale et voluntarium, obex reducit ad absentiam *intentionis promovendi bonum commune*. Deus ergo qui est Bonum Subsistens non potest infundere potestatem in eum qui obicit impedimentum voluntarium ad promovendum bonum commune.

10. Recapitulatio. Auctoritas concrete sumpta consistit in coniunctione duarum partium, nempe materiae et formæ, per analogiam ad rem substantialem. Pars materialis auctoritatis est designatio legalis alicuius hominis a tota communitate qui potestatem regiam accipiat. Pars formalis auctoritatis consistit in *facultate legis ferendæ*. Hæc facultas seu ius essentialiter ordinatur ad bonum commune, mediante lege, a qua mensuratur tamquam suum obiectum formale, ita ut, remoto ordine ad bonum commune, removeatur facultas.

⁸ Pius XII prævidit casum in quo laicus non potuerit vere electionem accipere, si recusaverit ordinationem sacerdotalem. “*If a layman were elected the pope, he would not be able to accept the election unless he were someone apt to receive ordination and disposed to being ordained.*” (Speech to the Second World Congress for the Lay Apostolate, October 5, 1957).

Omnis auctoritas provenit ex Deo, cuius Omnipotentia et Providentia sunt fundamentum primarium relationis *rex-subditus*. Auctoritas infunditur immediate a Deo in eum qui designationem legalem possidet, dummodo adsit ordo naturalis ad formam auctoritatis accipiendo, et absit impedimentum.

Conditio ergo accipiendi formam auctoritatis a Deo, vero *sine qua non*, est *intentio promovendi bonum commune* in eo qui designatur ad curam totius communitatis accipiendo.

III. DE AUCTORITATE MATERIALITER SUMPTA, SEU DE DESIGNATIONE LEGALI AD POTESTATEM REGIAM ACCIPIENDAM

II. Quis legitime regit, et quis illegitime? Auctoritas, in quantum potestas seu facultas activa, est habitus ergo et accidens prædicamentale, quod non potest existere nisi recipiatur in subiecto. Sed in quo subiecto? Aliis verbis, quæstio nunc est: quis legitime regit, et quis illegitime?

Responsio est quod ille legitime regit, qui legitime eligitur a societate ut auctoritatem accipiat, et qui impedimentum non habeat ad accipiendo auctoritatem. Ille illegitime regit, qui illegitime, id est sine designatione legali, auctoritatem sumpsit, vel etiamsi valide designatus, impedimentum habet ad accipiendo auctoritatem.

In societate civili, selectio subiecti auctoritatis pertinet, secundum opinionem communem, ad totam communiteatem. Secundum Thomistas in genere, tota communitas ius habet instituendi seu eligendi ipsam formam gubernii necnon subiecti qui auctoritatem accipiat, sed communitas non transfert, sicut quidam dixerunt, notabiliter Suarez, ipsam auctoritatem. Communitas mere proponit subiectum auctoritatis; Deus autem auctoritatem dat. Coniunctio duorum facit auctoritatem in concreto, seu regem.

Communitas qua talis non potest esse subiectum auctoritatis; auctoritas provenit ex Deo; designatio autem subiecti auctoritatis ex tota communitate provenit, saltem implicite. Etiam apud monarchias hereditarias, secundum auctores, populus, ut legitime rex auctoritatem accipiat, saltem implicite systemati monarchico et hereditario consentire debet.

Hæ autem quæstiones de constitutione gubernii civilis ad nos hic non pertinent, quia constitutio Ecclesiæ provenit immutabiliter ex ipso Christo, nec dependet ullo modo ex consensu vel approbatione fidelium. Insuper elementa essentialia gubernii civilis oriuntur ex lege naturali, nempe finis societatis, forma gubernii, modus seligendi subiectos auctoritatis; elementa autem essentialia constitutionis ecclesiasticae divina dispositione statuta sunt. Christus instituit Ecclesiam, Apostolos vocavit, et in hierarchiam stabilivit, finem Ecclesiæ præbuit necnon media supernaturalia ad finem attingendum, formam gubernii monarchicam instituit, ita ut constitutio Ecclesiæ nullo modo ab inferioribus proveniat, sed ab ipsa auctoritate Christi. Nec papa quidem, qui ipsa auctoritate Christi vicarie pollet, constitutionem divinam Ecclesiæ mutare potest.

12. De materia auctoritatis. Ex dictis lector facile videbit auctoritatem in concreto sumptam et partem formalem et partem materiale habere. Pars formalis auctoritatis est ipse habitus seu facultas moralis seu ius legis ferendæ. Aliis verbis est papatus ipse. Pars materialis seu potentialis auctoritatis est ipse homo qui hoc ius

legis ferendæ accipit. Auctoritas in concreto, e.g., papa vel rex, ex coniunctione horum duorum elementorum oritur.

Ut quispiam rex vel superior legitime regat, necesse est ut is qui auctoritatem acceperit designetur legaliter ut hanc potestatem accipiat, id est, secundum normas statutas vel ab Ecclesia vel a gubernio civili. Alioquin is qui se proclamaverit papam vel regem non legitime sed per violentiam reget, quia communitas non tenetur ut accipiat eum qui non legaliter eligitur tamquam subiectum legitimum auctoritatis. Qui ergo per violentiam in sedem auctoritatis intrat non vere accipit auctoritatem, quia non est vere dispositus ad actum seu formam auctoritatis recipiendam. Electio vel designatio legalis, etiam in casu natus legitimi in monarchia hereditaria, perficit subiectum ut fiat materia ultima auctoritatis, seu eum ponit in ultima dispositione recipiendi perfectionem auctoritatis. Analogum est generationi naturali, ubi parentes non dant formam humanam, id est animam, sed ultimam dispositionem materiæ. Deus dat animam, et coniunctio materiæ et formæ unum simpliciter facit, nempe hominem. Si autem materia aliquo modo indisposita est, forma non infunditur, vel si infunditur ad tempus, fœtus moritur, quia materia propter imperfectionem non potest ferre animam.

Item actus auctoritatis non potest accipi nisi in subiecto legaliter designato. In gubernio civili, quia dependet ex lege naturali, facile est ut quidam rex, qui per violentiam intravit in locum auctoritatis, verus et legitimus rex possit fieri, propter implicitam approbationem populi. Idem autem non verificatur in Ecclesia, quia fideles non possident lege naturali ius designandi subiectum auctoritatis papalis. Necesse est ergo ut is qui papatum accipiat, designetur secundum normas vigentes tempore vacationis sedis i.e., debet designari ab electoribus qui ius legale habent eligendi papam.

13. Duratio designationis ad iurisdictionem papalem accipiendum.

Designatio ad officium perdurat usque ad (1) mortem subiecti, (2) voluntariam recusationem vel renuntiationem subiecti, vel (3) privationem designationis a subiecto ab eo qui ius habet privandi. Non datur aliis modus amittendi designationem.⁹ Quamvis non detur auctoritas quæ possit iudicare papam, nihilominus corpus electorum potest ei auferre designationem. Designatio enim provenit a Deo solum mediate, immediate autem ab electoribus. Quocirca non est ultra iura electorum papæ *comperire* factum amissionis iurisdictionis in papa electo, vel etiam indispositionem eius ad iurisdictionem papalem accipiendam. Exempli gratia, electores debent comperire mortem papæ antequam ad electionem novi papæ procedere possint. Similiter si papa in dementiam ceciderit, electores debuerint *comperire* dementiam et ergo amissionem potestatis papalis et, facto comperto, ad electionem procedere potuerint. Similiter si laicus electus fuerit, sed consecrationem episcopalem recusaverit, electores indispositionem eius ad potestatem accipiendam *comperire* debuerint et, facto comperto, ad electionem procedere potuerint. Item in casu electi ad papatum vel etiam eius qui iurisdictionem papalem iam acceperit, si in hæresim inciderit, vel peius, si hæresim et disciplinas hæreticas et sacrilegas in nomine Ecclesiæ promulgaverit, electores hoc factum indispositionis electi ad auctoritatem accipiendam vel retinendam comperire potuerint et debuerint et, facto comperto, ad novam electionem procedere.

⁹ Can. 183 § 1 enumerat causas amissionis officiorum ecclesiasticorum, id est, renuntiatione, privatione, amotione, translatione, lapsu temporis præfiniti. Ad hunc casum autem non possunt applicari amotio, translatio, vel lapsus temporis præfiniti.

14. Duratio iuris designandi. Duratio iuris designandi similis est ipsi designationi, id est, potest amitti solum morte, renuntiatione, vel privatione legali. In casu electorum papæ, solus ille qui ius habet designandi electores (i.e., solus papa saltem materialiter), ius habet legaliter privandi.

Quæritur ergo: quomodo potest non-papa vel papa mere materialiter electores Romani Pontificis legaliter amovere vel nominare? Aliis verbis, quomodo conclavia post Concilium Vaticanum II legitima considerari possunt cum electores ipsi hæretici sint, iurisdictione denudati, vel nominati ab hæreticis etiam iurisdictione denudatis?

Responsio est quod auctoritas duplum habet finem, quorum unus est legis ferendæ, sed alter est nominandi subiectos ad auctoritatem accipiendam. Sicut ipsa auctoritas habet “corpus” et “animam” seu materiam et formam, quarum prima est designatio ad iurisdictionem accipiendam et altera ipsa iurisdictio, item obiectum auctoritatis duplex est. Primum et quidem principale obiectum seu finis auctoritatis est communitatem dirigere ad bonum latrone legum, quod pertinet ad “animam” auctoritatis, et secundum et quidem secundarium (quia ordinatur ad primum) est nominare subiectos auctoritatis, quod pertinet ad “corpus” auctoritatis, ut communitas continuat per tempus. Exempli gratia, si Sanctus Petrus Ecclesiam rexisset, sed successionem eius legitimam non providisset, bonum Ecclesiæ graviter, etiam mortaliter läsisset, quia ad bonum regimen non sufficit ut quispiam mere leges ferat, sed necesse est ut successionem legitimam in sedes auctoritatis suppeditet.

Hæc duo obiecta auctoritatis sunt realiter distincta. Ratio est quod actus designationis ad officium accipiendum non est legis latio. Designare aliquem ad officium est mere transferre ius seu titulum; non spectat ad finem societatis. Nulla oboedientia debetur designationi, sicut legi, sed sola agnitus. Atqui si obiecta sunt realiter distincta, tunc facultates quæ ad obiecta ordinantur sunt etiam realiter distinctæ. Ergo facultas designandi est realiter distincta a facultate legis ferendæ. Ergo fieri potest ut etiamsi quis non gaudeat facultate legis ferendæ (seu auctoritate proprie et formaliter sumpta) possit tamen facultate designandi gaudere, *prout intendit bonum obiectivum successionis legalis in sedes auctoritatis*. Porro, sicut supra dictum est facultas designandi provenit ex Ecclesia; facultas legis ferendæ provenit ex Deo. Ecclesia potest dare facultatem designandi nec simul autem Deus facultatem legis ferendæ dat, propter impedimentum.

Sed electores papæ, etiam ii qui Concilio Vaticano II adhærent, intendunt quandam designare legaliter qui papatum accipiat. Item Paulus VI et Joannes Paulus II, quamvis “papæ” mere materialiter¹⁰ intendunt nominare subiectos qui facultatem seu ius designandi papam habeant, cum “cardinales” nominant. Ergo conclavia, etiam illa post Concilium Vaticanum II, bonum successionis in sedem papalem obiective intendunt, et electi in sedem obiective intendunt bonum nominandi electores papæ. Hæc continuitas mere materialis auctoritatis potest indefinite continuere *prout conclavia intendunt papam eligere et electi intendunt electores nominare*.

Neque designatio propter hæresim vel electorum vel electi irrita redditur. Ratio est quod designatio in se non respicit dispositiones vel indispositiones subiecti. Exigentiae auctoritatis, id est, *iuris legis ferendæ* respiciunt dispositiones vel indispositiones. Aliis verbis, materia fit inapta ad auctoritatem accipiendam *propter exigentias formæ*, id est auctoritatis, non autem propter exigentias actus designationis. Exempli gratia, laicus qui ad papatum elititur debet, ut auctoritatem valide accipiat, intentionem habere accipendi consecrationem episcopalem, qua absente, permanet valide designatus, sed incapax auctoritatis accipiendæ propter indispositionem quoad

¹⁰ alias verbis papæ mere secundum quid, sed non simpliciter, id est formaliter.

formam, sed non quoad designationem. Talis esset papa materialiter donec intenderet consecrationem episcopalem accipere. Designatio est valida; exigentia auctoritatis reddit subiectum invalidum donec fiat materia in ultima dispositione ad auctoritatem accipiendam.

Ergo ille qui ad papatum designatur, etiamsi non potest propter obicem vel hæreos vel recusationis consecrationis episcopalies vel cuiuscumque alterius rationis auctoritatem accipere, nihilominus potest alios nominare ad auctoritatem accipiendam (puta episcopos) quin etiam electores papæ, quia omnes hi actus pertinent mere ad continuationem partis materialis auctoritatis et iurisdictionem non involvunt, quia in nominatione *nulla lex fertur*. Nominatio vel designatio est mera præparatio, remota quidem, ad legem ferendam. Prout designatus ad auctoritatem retinet intentionem continuendi partem materiale hierarchiæ, valide accipit hanc potestatem non legislativam. Item electores qui nominantur a “papis” mere materialiter, legalem designationem faciunt cum eligunt aliquem ad papatum accipiendum, quia in hoc actu *nulla lex fertur*, et ergo electores nulla iurisdictione indigent, id est, nullo iure legis ferendæ sed mere iure vocis activæ, ut valide et legaliter designent.

Analogia sumi potest ex anima humana. Anima ordinatur ad actus specificē diversos, puta actus vitæ vegetativæ, vitæ sensitivæ, et vitæ rationalis. Fieri potest, propter inaptitudinem vel indispositionem materiæ (e.g., propter vulnus grave capitis), ut anima ponat solos actus vegetativos, ita ut corpus maneat vivum et in potentia ad actus superiores, cum materia fit disposita. Si autem materia fit omnino indisposita ad vitam sustentandam, etiam vegetativam, supervenit mors. Item analogice Ecclesia potest “vitam vegetativam” hierarchiæ sustinere, neque simul sustinet “vitam legislativam” seu vitam prosecutionis finium Ecclesiæ (saltem ex parte hierarchiæ). Hic status rerum provenit non ex defectu Christi sed ex defectu hominum defectibilium qui ad auctoritatem accipiendam designantur. Permittitur autem a Christo Capite Ecclesiæ, et est “mirabile in oculis nostris.” Omne autem malum a Deo permissum ad bonum dicit.

Prosecutio finium Ecclesiæ peragitur a sacerdotibus et ab episcopis qui in hæresim non ceciderunt, cum iurisdictione quidem non habituali sed mere transitoria, cum actus sacramentales ponunt.

15. Ius eligendi non est iurisdictio seu auctoritas. Ius eligendi personam ad auctoritatem accipiendam non est auctoritas vel iurisdictio quia illi qui hoc ius habent, non necessario ius habent legis ferendæ. Exempli gratia, cives in re publica ius habent eligendi, nihilominus non possunt legem ferre, sed nominare tantum eum qui auctoritatem accipiat. Obiectum iuris eligendi non est latio legis, sed mere designatio personæ. Ergo permanet ius eligendi prout permanet intentio habitualis designandi personam ad auctoritatem accipiendam vel donec hoc ius ab auctoritate auferatur.

Ius eligendi ordinatur ad actum specificē distinctum ab eo ad quem iurisdictio seu auctoritas ordinatur. Auctoritas ordinatur ad leges ferendas quæ sunt ordinationes ad promovendum fines proprios ipsius societatis. Ius eligendi autem non ordinatur directe ad fines proprios societatis promovendos, sed solum ad suppeditandum subiectum aptum ad hanc auctoritatem accipiendam. Obiectum alterius est simpliciter diversum ab altero, et ius eligendi nullo modo implicat in suo conceptu formali possessionem iuris legis ferendæ, sicut electio in se non implicat in suo conceptu formali possessionem auctoritatis. Verum est *in concreto* hæc duo frequenter coincidere in eadem persona, puta in cardinale vel in papa, sed non

necessario hæc duo accidentia (vel ius eligendi et ius legis ferendæ vel electio et possessio auctoritatis) inhærente eidem personæ, quia obiectum utriusque diversum est. Ut supra dictum est, obiectum iuris eligendi est designatio personæ quæ auctoritatem accipiat, et obiectum iuris legis ferendæ est ipsa lex, seu ordinatio rationis ad bonum commune promovendum. Actus seu exercitium iuris eligendi est *electio*; actio seu exercitium iuris legis ferendæ est *legis latio*.

Quia hæc iura obiecta habent simpliciter diversa, sunt duæ facultates morales simpliciter diversæ.

Hæc distinctio solvit difficultatem quæ a nonnullis obicitur, quod impossibile est ut conclave, quod ex cardinalibus hæreticis ergo et iurisdictione privatis componatur, capax sit eligendi eum qui ordinetur ad iurisdictionem plenariam suscipiendam.

16. Ius legis ferendæ provenit immediate ex Deo; ius autem designandi provenit mediate tantum ex Deo, immediate autem ex Ecclesia.

Ius legis ferendæ, i.e., ius docendi, regendi, et sanctificandi Ecclesiam provenit ex Deo. Est auctoritas proprie loquendo, auctoritas quidem Christi, in qua papa participat vicarie. Ius autem designandi eum qui auctoritatem accipiat provenit mediate a Deo sed immediate ab Ecclesia. Manifestum est: cum papa moritur, ius designandi successorem non moritur cum eo. Possessor legalis huius iuris designandi est corpus electorum seu conclave. *Qua ratione, conclave seu corpus electorum potest communicare ius designandi etiam papæ materiali, id est, designato ad papatum sine auctoritate papali, ita ut hic papa materialis possit nominare alios electores legaliter et sic perpetuo sustentare corpus legale electorum.* Aliis verbis, omnia hæc sunt *in linea materiali*. Hoc principium maximi momenti est, quia ii qui invehunt in thesin non intelligunt quomodo is qui auctoritatem papalem non habeat possit nominare cardinales seu electores qui possint eligere legaliter et legitime eum qui auctoritatem debet accipere. Falso opinantur ius designandi electorum idem esse ac ius legis ferendæ, et componunt ea quæ dividi debent.

Hoc ius designandi quod invenitur in Paulo VI vel Ioanne Paulo II non constituit eos papas, *quia agent auctoritate seu iure legis ferenda*. Ergo non sunt papæ nisi materialiter. Possunt tamen designare electores et etiam episcopos ad succedendum in sedes auctoritatis, et etiam valide mutare regulas electionis, præsertim si hæ commutationes acceptæ sunt a conclavi.

IV. DE CONIUNCTIONE DUARUM PARTIUM AUCTORITATIS

17. Vacantis Apostolicæ Sedis Pii XII. Hoc documentum declarat:

Post electionem canonice factam, ab ultimo Cardinali Decano accitis in aulam Conclavis S. Collegii Secretario, Præfecto Apostolicarum Cæremoniarum atque duobus Cæremoniarum Magistris, consensus electi per Cardinalem Decanum nomine totius S. Collegii his verbis: *Acceptasne electionem de te canonice factam in Summum Pontificatum?* requiratur. Hoc consensu præstito intra terminum, quatenus opus sit, prudenti arbitrio Cardinalium per maiorem votorum numerum determinandum, illico electus est verus Papa, atque actu plenam absolutamque iurisdictionem supra totum orbem acquirit et exercere potest. (§ 100 et 101).

Manifestum ergo est quod consensu electioni præstito, electus fit papa. Coniunctio ergo materiae et formæ papatus est immediata. Quomodo ergo quispiam,

consensu præstito, potest remanere papa solum materialiter? Responso: quia materia et forma non possunt uniri, *nisi materia habet debitam proportionem ad formam*, quod fit dupliciter, *scilicet per ordinem naturalem materiæ ad formam, et per remotionem impedimenti*.

Is ergo qui legaliter electus est ad papatum accipit *quidquid auctoritatis quod possit*, i.e., cui non obicit impedimentum. Ergo potest fieri ut quispiam possit ius designandi quod spectet ad successionem legitimam et permanentiam vitæ corporalis Ecclesiæ accipere, nec simul accipere auctoritatem proprie loquendo, id est *ius legis ferendæ*, quæ spectat ad legi lationem et regimen Ecclesiæ.

Atqui ut supra vidimus, intentio promulgandi errores vel disciplinas nocivas impedimentum ponit in electo ad accipientiam formam auctoritatis, qui etiamsi electioni consenserit, remanserit *electus* tantum, donec impedimentum removeat.

V. DE POSSIBILITATE SEPARANDI MATERIAM ET FORMAM AUCTORITATIS

18. In entibus per accidens materia et forma possunt separari. In entibus per se, puta homo, impossibile est ut suppositum permaneat si materia et forma separantur. Materia non potest existere actu sine forma substantiali. In entibus per accidens, id est, in iis quæ exoriuntur ex coniunctione formæ accidentalis cum substantia (quæ fit analogice materialis quoad accidens), materia et forma possunt seiungi sine corruptione suppositi — puta *homo albus*, seu *grammaticus*, seu *musicus*.

Papa autem, qua papa, est ens per accidens, quia est aggregatio plurium entium, nempe hominis ex una parte, et plurium accidentium, ex altera parte. Ex his accidentibus quædam sunt mere dispositiva, puta ordinatio sacerdotalis, consecratio episcopalis, etc. sed una est formalis, qua homo quidam denominatur papa simpliciter, et hæc est *ius legis ferendæ* seu *auctoritas* seu *iurisdictionis*.

Homo dispositus ad auctoritatem accipientiam est substantia quæ habet omnes perfectiones necessarias ad formam auctoritatis accipientiam, quarum ultima et vero *sine qua non* est designatio legalis ad auctoritatem accipientiam. Talis homo designatus potest accipere auctoritatem aut statim aut post aliquod tempus. Si non accipit auctoritatem statim, remanet materia ultima auctoritatis, homo electus vel designatus, sed non habet iurisdictionem. Non habet *ius legem ferendi* vel dirigendi communitatem in fines proprios.

Exemplum notabile est præsidens Statuum Foederatorum Americæ Septentrionalis. Legaliter designatur mense novembri, sed auctoritatem non prius accipit quam die 20 januario anni sequentis. Intra tempus electionis et acquisitionis potestatis, non est præsidens, quia non habet potestatem, sed non est simpliciter non-præsidens, quia habet designationem legalem. Est præsidens materialiter. Si talis electus numquam Washingtonium venerit ad potestatem accipientiam, remanserit præsidens materialiter donec Congressus hanc designationem ei abstulerit.

Difficile est concipere eundem statum in casu Romani Pontificis, quia consuetudo et lex statuunt ut immediate accipiat iurisdictionem papalem in ipso actu accipiendo designationem. Fieri quidem potest ut homo quidam legaliter designatus, qua designatione accepta, iurisdictionem tamen non accipiat, inquantum indiget aliqua dispositione necessaria, e.g., intentione accipiendo consecrationem episcopalem, si non est episcopus, vel usu rationis si demens sit. In tali casu, homo electus haberet designationem ad papatum, sed non esset verus papa, sed mere papa materialiter, donec consentiret consecrationi episcopali, vel dementia desineret.

Designatio ad auctoritatem accipiendam et ipsa auctoritas sunt ergo duo accidentia quæ possunt subiecto inhærere, et quia pertinent ad ordinem accidentalem, sunt mere *analogice* materiale et formale (respective) quoad papam.¹¹ Homo qui primum accidens habet, id est, designationem, ipso facto fit *materia proxima auctoritatis*, seu est auctoritas (*concrete sumpta*) *materialiter*. Ergo laicus qui ad papatum designatus fuerit, sed qui recusaverit consecrationem episcopalem fuerit papa *materialiter*, donec conclave hanc designationem ei abstulerit.

Quia designation ad auctoritatem realiter differt ab ipsa auctoritate (*formaliter sumpta*), potest designation existere in aliquo subiecto sine auctoritate, ut supra dictum est. Per analogiam, parentes materiam proximam producunt ad suscipiendam formam humanam, sed ipsam formam non infundunt. Simili modo electores materiam proximam papatus (vel alicuius regis societatis) suppeditant, sed auctoritatam non suppeditant. Si materia quæ a parentibus producitur aliquo modo indisposita est ad formam humanam accipiendam, non fit homo, sed a corpore mulieris expellitur. Ita si electores aliquam materiam auctoritatis suppeditant, quæ tamen aliquo modo indisposita est ad formam auctoritatis accipiendam, non fit papa, sed expellitur, id est, electores ei auferunt designationem. Insuper per analogiam, sicut mulier quæ foetus indispositum non expellit malis humoribus inficitur, ita Ecclesia vel societas quæ materiam auctoritatis indispositam non expellit, morbo confusionis propter absentiam auctoritatis afficitur. Insuper si causa indispositionis ad auctoritatem est voluntas promovendi hæresim, institutiones Ecclesiæ fœtidabre hæreseos putent, propter *apparentiam* auctoritatis in ipso qui electus est.

VI. DE CAUSIS QUAE IMPEDIUNT CONIUNCTIONEM MATERIÆ ET FORMÆ AUCTORITATIS

19. Ut supra diximus, materia auctoritatis seu homo designatus non potest recipere auctoritatem ad quam designatur si impedimenta voluntaria ei obicit. Quæ sunt hæc impedimenta? Responsio est: quodcumque impedit quominus designatus possit bonum commune modo habituali promovere.

Casus Romani Pontificis specialissimus est, quod bonum quod promovere debet multo altius est quam bonum societatis civilis. Bonum Ecclesiæ consistit in prosecutione finium quos Christus ipse ei imposuit et continuo intendit. Hi fines sunt tres, respondentes tribus functionibus Christi nempe: (1) indefectibiliter et infallibiliter promulgare veritatem, prout Christus est Propheta; (2) offerre verum et unicum sacrificium Deo uno et vero, sacramentaque vera administrare, prout Christus est Summus Sacerdos; (3) indefectibiliter condere leges quæ infallibiliter ducunt ad vitam æternam, inquantum Christus est Rex. Ergo ille qui impedimentum habet vel ponit etiam uni harum trium functionum essentialium Christi et Ecclesiæ, non potest accipere auctoritatem Christi neque Ecclesiæ, quia auctoritas, ut supra vidimus, necessario et essentialiter ordinatur ad bonum commune, ad prosecutionem finium propiorum societatis.

¹¹ “Quia materia est potentia, quæ suscipit formam, et imperfectum seu potentiale, ex quo fit perfectum, ad causam materiale reducuntur: a) accidentia, quæ disponunt subiectum ad suscipiendam aliquam formam — causa materialis dispositiva, b) partes sive essentiales (materia et forma) sive integrales, ex quibus fit totum, c) quodcumque subiectum potentiale suscipiens aliquem actum. Ita substantia spiritualis relate ad accidentia sua, essentia relate ad existentiam, unum accidens ad aliud dicuntur causæ materiales in sensu latiore.” Gredt, *Elementa Philosophiae Aristotelico-Thomisticae*, (Friburgi Brisgoviae: Herder, 1932) n. 751.

Qui igitur intenderit (1) promulgare errorem, (2) promulgare usum falsi cultus, vel cultum falsi dei, vel non-usum veri cultus, vel (3) promulgare leges nocivas, quamvis sit valide designatus, non possit auctoritatem accipere. Intendere talia est intendere *eversionem Ecclesiae, et eius excidium totum*. Ecclesia enim est *columna veritatis* ex institutione Christi et qui intendit promulgare errorem in nomine eius, vel in rebus speculativis vel in rebus practicis, naturam eius pervertit. Christus est Caput principale Ecclesiae, et auctoritas papae est auctoritas Christi. Intentio ergo promulgandi errorem omnino destruit proportionem inter auctoritatem Christi et designatum.

Intentio vero evertendi Ecclesiam per promulgationem erroris non est unica ratio qua quisquam non potest accipere auctoritatem papalem. Exempli gratia quod supra citavimus, Pius XII dixit laicum, qui electus fuerit ad papatum, non posse electionem acceptare donec consentiret ut ordinaretur. Ratio evidens est: qui non vult sacerdos esse implicite non vult et ergo non potest accipere auctoritatem sacerdotalem. Nec potest esse imago Christi Summi Sacerdotis, et ergo non potest adimplere functionem essentiali papatus. Item pro aliis functionibus: qui intendit falsam doctrinam promulgare non potest fungi officio Christi Summae Veritatis; qui intendit falsum cultum non potest fungi officio Christi Summi Sacerdotis; qui intendit leges nocivas promulgare non potest fungi officio Christi Regis. Sicut Christus eius Magister, Ecclesia debet esse omnibus hominibus *via, veritas, et vita*, inquantum *regit, docet, et sanctificat*, et haec *infallibiliter*. Quodsi auctoritas Ecclesiae promulgat errorem, Ecclesia nemini potest esse via, nec veritas, nec vita.¹²

APPENDIX: DE DISTINCTIONE INTER FACTUM REALE ET AGNITIONEM LEGALEM FACTI REALIS

20. Priusquam ad thesin procedere liceat, necesse erit aliam distinctionem magni momenti explicare, id est, distinctionem inter factum reale et agnitionem legalem facti realis.

Omnis societas est persona moralis, et per analogiam ad personam physicam, societas suum intellectum et voluntatem habet. Ergo fieri potest, et saepe accidit, ut factum possit esse verum in ordine reali, evidentissimum quidem, nec tamen a societate qua tale agnoscitur. Exempli gratia, aliquis potest homicidium committere coram multis testibus. Quamvis testes sciant tales hominem homicidam esse, nihilominus coram lege innocens habetur donec a tribunali damnatus erit. Aliis verbis, in oculis societatis non est homicida donec damnatus erit, etiamsi certissimum est testibus eum homicidam esse, et in realitate homicida est. Aliud exemplum: in matrimonio sponsus consensum simulat. Coram Deo et in realitate, non est vinculum matrimonii in hoc casu; sed coram Ecclesia valet matrimonium donec probatum erit consensum simulatum esse. Si sacerdos invenerit, per confessionem sponsi, consensum simulatum esse, debebit interdicere sponsis usum matrimonii quia coram Deo vinculum non existit, *quamvis coram Ecclesia vinculum existat donec declaratum erit nullum per declarationem legalem*. Aliud exemplum: sacerdos in ordinatione sua retinet secreto intentionem suscipiendi sacramentum ordinis. Legaliter coram Ecclesia emergit ab ordinatione tamquam sacerdos, etiamsi coram Deo et in realitate non est sacerdos. Si postea vult nullitatem sacramenti probare, legaliter manet sacerdos, donec nullitas rite probata erit.

¹² Aliud impedimentum, quod nos non spectat, est dementia, quia qui demens est nullius officii capax est. Talis demens, nihilominus, si designetur, designatus remaneat, donec designatio ei ablata erit ab auctoritate competenti.

Propter hanc distinctionem inter “factum reale” et “factum legale,” Ecclesia — et omnis societas — distinguitur a mero vulgo.

Porro hæc distinctio confirmatur in casu Nestorii, cum quo, hæresi in cathedrali pronuntiata anno 428, clerus et populus communionem respuerunt et obœdientiamque ei recusaverunt, qui nihilominus in sede tamquam legaliter designatus perseveravit usque ad depositionem legalem a Concilio Ephesino anno 431. Si agnitio legalis delicti eius non fuisset necessaria, tunc papa nominavisset electum in eius locum ante iudicium Concilii.

Problema nostrum hodiernum quidem horrendum est quod omnes sedes auctoritatis, saltem apparenter, errores Concilii Vaticanii II tamquam magisterium docent, et omnes electores papæ erroribus Vaticanii II participant, ita ut nemo sit qui modo legali *agnoscere* vel *comperire* possit factum erroris in magisterio et ergo absentiam auctoritatis in iis qui id promulgant.

In hoc statu rerum, qui numquam antea in historia Ecclesiæ exstitit, fideles ex una parte se defendere debent, sicut fideles constantinopolitani contra Nestorium, respundo communionem cum promulgatoribus erroris recusandoque agnitionem eorum possessionis auctoritatis, sed ex altera parte observare debent qualitatem legalem Ecclesiæ, qua aliquis in sede vel munere perseverat donec a lege ablatus erit.

Quibus rationibus, thesis, quam infra probabimus, perfectam explicationem problematis hodierni et positionem vere Catholicam suppeditat, quia ex una parte servat indefectibilitatem Ecclesiæ eiusque magisterii infallibilitatem, recusando agnitionem auctoritatis Christi in iis qui errorem promulgant, sed ex altera parte tuetur apostolicitatem et unitatem Ecclesiæ tamquam unum et unicum corpus morale, agnoscendo in iis qui legaliter designati sunt ad officia ecclesiastica designationem legalem, donec hæc ab auctoritate competenti eis ablata erit.

SECTIO TERTIA

THESIS DECLARATUR ET PROBATUR; OBJECTIONIBUS RESPONDETUR

21. Thesis declaratur et probatur.

T H E S I S

IS QUI AD PAPATUM ELECTUS EST A CONCLAVI RITE ET LEGALITER
CONVOCATO, SED QUI IN ANIMO HABET DOCERE ERROREM, VEL
PROMULGARE DISCIPLINAS NOCIVAS NON POTEST AUCTORITATEM

PAPALEM ACCIPERE DONEC RESIPISCAT ET ERROREM VEL DISCIPLINAS NOCIVAS RESPUEAT, ALIIS VERBIS NON EST PAPA FORMALITER; REMANET AUTEM VALIDE DESIGNATUS AD POTESTATEM PAPALEM ACCIPIENDAM, ALIIS VERBIS EST PAPA MATERIALITER, DONEC MORTUUS ERIT, VEL RENUNTIAPERIT, VEL CONCLAVE LEGALE VEL ALIA AUCTORITAS COMPETENS COMPERERIT SEDEM VACARE.

Probatur prima pars:

Major: Auctoritas papalis non infunditur a Deo in valide designatum qui impedimentum ponit ad auctoritatem papalem accipiendam.

Minor: Atqui qui in animo habet docere errorem, vel promulgare disciplinas nocivas ponit impedimentum ad auctoritatem papalem accipiendam.

Conc.: Ergo in valide designatum qui in animo habet docere errorem, vel promulgare disciplinas nocivas auctoritas papalis non infunditur a Deo.

Probatur major: Ex supra dictis. Auctoritas concrete sumpta fit ex coniunctione duarum partium, quarum una materialis et altera formalis. Hæc coniunctio non potest fieri si adest impedimentum, per analogiam ad naturalia.

Probatur minor: Conditio accipendi auctoritatem *sine qua non* est quod is qui eam accipiat in animo habet promovere bonum commune communitatis cui præest. Bonum autem commune Ecclesiæ est homines docere veritatem, eos regere per vias rectas in cælum, et eos sanctificare per sacramenta vera et valida. Auctoritas ergo Ecclesiæ habet ordinem essentialiem ad homines docendos veritatem, ad eos regendos per vias rectas in cælum, et ad eos sanctificandos per sacramenta vera et valida. Qui ergo non intendunt hos fines impedimentum ponunt ad auctoritatem accipiendam.

Probatur secunda pars:

Major: Designatio legalis ad papatum non potest amitti nisi his tribus modis: vel per (1) mortem subiecti, (2) vel per voluntariam recusationem vel renuntiationem subiecti, vel per (3) privationem designationis a subiecto ab auctoritate competenti.

Minor: Atqui qui electus est a conclavi rite et legaliter convocato, sed qui in animo habet docere errorem, vel promulgare disciplinas nocivas (puta Ioannes Paulus II), is nec mortuus est, nec voluntarie recusavit vel renuntiavit designationem, nec privatus est ab auctoritate competenti.

Conc.: Ergo qui electus est a conclavi rite et legaliter convocato, sed qui in animo habet docere errorem, vel promulgare disciplinas nocivas (puta Ioannes Paulus II), non amisit designationem legalem ad papatum.

Probatur major: Ex iure canonico (Canon 183 § 1. Nec translatio nec lapsus temporis præfiniti pertinent ad papatum).

Probatur minor: Ex factis. Ioannes Paulus II (1) vivit, (2) acceptavit designationem in conclavi et numquam renuntiavit, (3) nec privatus est ab auctoritate competenti.

22. Respondetur ad obiectiones.

OBIECTIONES CONTRA PRIMAM PARTEM THESEOS

I. Illa thesis erronea est quæ ponit in fidelibus ius accusandi eum qui ad papatum electus est quod non intendat bonum Ecclesiæ, quia hoc ius pertinet solum ad auctoritatem competentem. Atqui thesis ponit in fidelibus ius accusandi eum qui ad papatum electus est quod non intendat bonum Ecclesiæ. Ergo thesis erronea est.

Resp. Distinguo maiorem: Non pertinet ad fideles, sed ad auctoritatem competentem, accusare *legaliter* eum qui ad papatum electus est quod non intendat bonum Ecclesiæ, *concedo*; non pertinet ad fideles, sed ad auctoritatem competentem, accusare *privatum* eum qui ad papatum electus est quod non intendat bonum Ecclesiæ, *nego*. Et contradistinguo minorem: Thesis vult ut fideles accusent *legaliter* eum qui ad papatum electus sit quod non intendat bonum Ecclesiæ, *nego*; *privatum*, *concedo*. Et *nego* conclusionem. Fideles nullum ius habent damnandi electum ad papatum *legaliter*, sed solum iudicio privato, comparando commutationes Concilii Vaticani II cum magisterio et praxi antecedenti. Ratio est quod fideles non possunt adsentire formulis contradictientibus. Quod tamen “magisterium” Concilii Vaticani II contradicit magisterio antecedenti, fideles non possunt *non accusare*, iudicio privato, eum qui hoc magisterium promulgat, eodem modo quo fideles constantinopolitani Nestorium accusabant.

II. Illa thesis erronea etiam protestantica est quæ ponit in fidelibus ius scrutandi iudicio privato acta et magisterium Concilii generalis vel papæ. Atqui in thesi quam proponis, fideles scrutantur iudicio privato acta et magisterium Concilii generalis vel papæ. Ergo thesis est erronea, etiam protestantica.

Resp. Distinguo maiorem. Fideles ius non habent scrutandi iudicio privato acta et magisterium Concilii generalis vel papæ inquantum possunt a magisterio Ecclesiæ dissentire *concedo*; inquantum non possunt comparare magisterium cum magisterio antecedenti, *nego*. Contradistinguo minorem, et *nego* conclusionem. Quinimmo fideles *debent* comparare, quia fides catholica una est, et omnes veritates inter se constant. Nec veritas naturalis potest contradictionem tolerare, quia non est intelligibilis; multo maius repugnat contradictio veritati supernaturali et habitui supernaturali quo adsentitur his veritatibus.

III. Si adest contradictio inter magisterium Concilii Vaticani II et magisterium antecedens, fideles debent *præsumere* contradictionem mere apparentem esse, et non realem. Atqui in thesi quam proponis, fideles non sic *præsumunt*. Ergo thesis erronea est.

Resp. *Nego* maiorem quia absurdum. Metaphysice impossibile est assensum dare duabus formulis dogmaticis quæ sibi contradicunt. Ergo fideles non possunt adsentire magisterio Concilii Vaticani II simul ac magisterio antecedenti, quia sibi contradicunt. Ut ergo fideles adsentirent ambobus eodem tempore, necesse esset ut *interpretarentur*, *suo proprio iudicio privato*, unum vel alium actum magisterii, ut aliquo modo inter se constent. Sed in tali casu notio magisterii ruit, quia fideles nitentes suo proprio iudicio, motivum supernaturale adhæsionis magisterio amittunt. Insuper

unusquisque ex fidelibus suam propriam interpretationem haberet, et facile in errorem caderet. Immo fideles non possunt iudicio privato determinare utrum contradictio in magisterio sit apparenſis an realis, sed unicum officium habent coram contradictione: *adhærere magisterio antecedenti, et respuere doctrinam contradicentem.* Interpretari magisterium pertinet solum ad magisterium, et non ad fideles.

IV. Qui thesi adhærent, et sedevacantistæ in genere, similes sunt Veteribus Catholicis, qui Concilium Vaticanum I accusabant quod deficeret a traditione Ecclesiæ promulgando doctrinam infallibilitatis pontificalis.

Resp. Nulla analogia existit inter Veteres Catholicos et Catholicos hodiernos qui errores Concilii Vaticanii II recusant. Ratio est quod nemo potest invenire in magisterio Ecclesiæ damnationem infallibilitatis pontificalis. Si Veteres Catholici potuissent invenire in magisterio antecedenti doctrinam infallibilitatis pontificalis vocatam esse “deliramentum” vel damnatam ut “pravam doctrinam,” vel “reprobatam, proscriptam, atque damnatam” ab auctoritate apostolica papæ antecedentis, tunc recte recusavissent talem doctrinam novam et contradicentem. Talibus enim verbis Pius IX damnavit doctrinam libertatis religiosæ. Evidens vero est nusquam hæc verba pronuntiata esse de doctrina infallibilitatis pontificalis. Ergo comparatio non valet.

V. Qui thesi adhærent et sedevacantistæ in genere similes sunt sequacibus Patris Feeney, qui suam propriam interpretationem dabat doctrinæ extra Ecclesiam nullam salutem esse.¹³

Resp. Quinimmo illi qui interpretationem benignam dant Concilio Vaticano II sunt similes Patri Feeney, qui exacte non querant interpretationem Concilii Vaticanii II in magisterio ipsorum qui id promulgaverunt, sed suam propriam interpretationem huic Concilio dent, quæ differt ab illa quæ ei data est a “magisterio” Pauli VI et Ioannis Pauli II. Interpretatio enim nihil aliud est quam cognitio sensus vel intentionis auctoris. Sed auctor magisterii est ille qui docet. Ergo Ioannes Paulus II est interpres authenticus magisterii Concilii Vaticanii II. Alioquin fideles cadant in *privatam interpretationem magisterii*, ubi Ecclesia documentum facit, et quisque secundum suam propriam opinionem interpretationem adoptat. E contrario, solum magisterium est interpres authenticus magisterii, et Ecclesia discens ius non habet interpretandi modo privato. Porro interpretatio quam Ioannes Paulus II magisterio Concilii Vaticanii II dat, non solum verbo sed etiam facto, heterodoxa est. Ergo recte catholici hoc magisterium respunt.

OBIECTIONES CONTRA SECUNDAM PARTEM THESEOS

VI. Canon 188 § 4 dicit eum qui publice a fide catholica defecerit tacite renuntiare officium suum. Atqui “papæ” conciliares publice defecerunt a fide catholica. Ergo renuntiaverunt tacite suum officium. Ergo non sunt papæ nec formaliter nec materialiter.

Resp. Distinguo maiorem: Canon 188 § 4 dicit eum qui publice a fide catholica defecerit tacite renuntiare officium suum, *si imputabilitas eius publica est, concedo*, sin occulta est, *nego*. Ratio est quod defectio a fide debet esse legaliter nota,

¹³ Pater Feeney negavit eos, qui sint extra Ecclesiam propter ignorantiam invincibilem, posse salvos fieri, et suam propriam interpretationem doctrinæ extra Ecclesiam nullam salutem esse dabat contra illam quæ data erat a Pio IX et a Pio XII. Quidam volunt dicere sedevacantistas respuere doctrinam libertatis religiosæ quia suam propriam interpretationem dant huic doctrinæ, respondo illam quæ data est a Concilio Vaticano II.

quod fit vel per declarationem vel per notorietatem. Atqui notorietas requirit ut non solum *factum* criminis sit publice notum, sed etiam eius *imputabilitas* (Canon 2197). In casu vero defectionis a fide catholica, vel per hæresim vel per schisma, necesse est ut defectio sit pertinax, ut sit imputabilis. Alioquin lex fit absurda: omnis sacerdos qui in homelia hæresim per inadvertentiam dicit reus esset hæreos notoriae cum omnibus pœnis connexis, et tacite renuntiaret officium suum. Atqui defectio a fide catholica a parte “paparum” conciliarium, quamvis sit publica quoad *factum*, non est publica quoad *imputabilitatem*, et ergo non fit renuntiatio tacita. Quod est publicum est intentio horum “paparum” promulgandi errores damnatos a magisterio ecclesiastico, et praxin sacramentalem quæ hæretica et blasphema est. Quæ cum ita sint, concludi debet eos necessario non possidere auctoritatem apostolicam, nec plus nec minus. Nec plus, quia auctoritas competens sola potest comperire et declarare legaliter realitatem eorum defectionis a fide catholica; nec minus, quia impossibile est ut auctoritas apostolica, propter infallibilitatem et indefectibilitatem Ecclesiae, promulget errores qui damnati sunt a magisterio ecclesiastico, et praxin sacramentalem quæ hæretica et blasphema est.

Instantia: At Canon 188 dicit renuntiationem non requirere declarationem.

Resp.: Non requirere declarationem vacationis officii, si defectio imputabilis notoria est vel declarata a lege, *concedo*; si defectio non est notoria imputabilis vel declarata, *nego*. Aliis verbis, necesse est ut publica defectio a fide catholica quandam agnitionem legalem habeat, sive per notorietatem imputabilitatis sive per declarationem legalem.

Instantia: Atqui imputabilitas defectionis horum “paparum” notoria est.

Resp. Nego. Ut imputabilitas sit notoria necesse est ut vel (1) ille qui hæresim pronuntiaverit publice fateatur se doctrinam profiteri quæ sit contra magisterium Ecclesiae, sicut Lutherus; vel (2) cum ab auctoritate Ecclesiae monitus sit, et monitione facta, publice auctoritatem respuat. Atqui nec una nec altera harum conditionum impletæ sunt in “papis” conciliaribus. Ergo imputabilitas defectionis notoria non est.

Instantia: Atqui canon 2200 *præsumit* imputabilitatem, si factum delicti probatum est.

Resp. Distinguo: *præsumit* imputabilitatem, *posita externa legis violatione*, *concedo*; *præsumit* imputabilitatem, *non posita externa legis violatione*, *nego*. In casu defectionis a fide catholica, violatio legis involvit *pertinaciam*, qua absente, lex non violatur. Ubi ergo pertinacia nec est notoria nec declarata a lege, canon 2200 non potest applicari.

Arbitror autem non esse veram dissensionem inter fautores Canonis 188 et fautores theseos. Constat enim inter omnes Ioannem Paulum II officium papatus non possidere, quia officium possidere idem est ac auctoritate seu iurisdictione gaudere. Thesis docet Ioannem Paulum II retinere ius in papatu, seu designationem legalem ad papatum. Atqui designatio ad officium non est possessio officii. Ergo non est incompatibilitas inter hæc duo argumenta. Caveant autem fautores argumenti Canonis 188, quia logice eorum argumentum implicat (1) Ioannem Paulum II legaliter electum esse ad papatum; (2) eum saltem ad tempus legitimate et plene possedisse papatum [!], quia nemo potest renuntiare officium quod non prius habuit; (3) Ioannem Paulum II tamquam plenum possessorem papatus *supra ius canonicum esse*, et ergo hunc canonem ad eum applicari non posse. Thesis vero ius canonicum transit, et nititur principiis philosophicis ipsius auctoritatis, quæ possunt applicari etiam ad supremam auctoritatem Romani Pontificis.

VII. Impossibile est ut materia existat sine forma. Atqui in thesi, materia papæ existit sine forma papæ. Ergo thesis erronea est.

Resp. Distinguo maiorem: Impossibile est ut materia existat sine forma, id est, ut materia prima existat actu sine forma substantiali, *concedo*; ut ens per se non possit existere sine quibusdam accidentibus, *nego*. Substantia est mere analogice materialis quoad accidentia quæ ei inhærent, quæ mutuo sunt mere analogice formalia quoad substantiam, inquantum sunt perfectiones. Ex definitione vero accidentis, evidens est substantiam posse sine accidente subsistere. Ut supra dictum est, papa qua papa est mere ens per accidens; consistit ergo ex materia et forma solum sensu lato et analogice tantum ad ens per se. Designatio ad officium papatus creat ius in possidente designationis; insuper ipsa auctoritas est etiam ius, quæ non sunt nisi accidentia. Evidentissimum est hominem posse subsistere sine his accidentibus, et posse designationem possidere nec tamen auctoritatem possidere.

VIII. Si electores non habent ius eligendi papam, tunc electus eorum non est vere designatus ad papatum. Atqui electores “paparum” conciliarium ius non habent eligendi quia hæretici sunt. Ergo electus eorum non est vere designatus ad papatum.

Resp. Concedo maiorem. Nego minorem et conclusionem. Electores “paparum” conciliarium, id est Pauli VI, Joannis Pauli I, et Joannis Pauli II, ius habent eligendi quia hoc ius non amiserunt propter hæresim pluribus rationibus: (1) defectio eorum a fide catholica nec est declarata nec est notoria eadem ratione ac supra (Obiectio VI) ergo non dantur tacita renuntiatio nec censura; (2) ius eligendi non est iurisdictio. Non est ius legis ferendæ. Non est officium. Est mere facultas moralis designandi legaliter eum qui auctoritatem supremam accipiat. Ad possidendum ergo et ad exercendum hoc ius nihil requiritur *nisi ut quispiam sit legaliter designatus ab eo qui ius legale habet designandi electores papæ*. Possessio auctoritatis, i.e., iuris legis ferendæ exigit ut possessor intendat dirigere Ecclesiam ad fines proprios, sed possessio iuris designationis exigit solum ut possessor intendat bonum continuitatis hierarchiæ Ecclesiæ. Atqui electores præsentes, etiamsi Concilio Vaticano II et Novo Ordini in genere favent, intendunt obiective bonum continuitatis hierarchiæ Ecclesiæ. Ergo valide et legaliter possident ius designandi, et is qui electus est, valide et legaliter electus est, et possidet ius legale in papatu.

IX. Qui ius eligendi accipit a non-papa, non habet ius validum et legale eligendi verum papam. Atqui electores “paparum” conciliarium designati sunt ut electores a non-papa. Ergo non habent ius validum et legale eligendi verum papam.

Resp. Distinguo maiorem. Qui ius eligendi papam accipit a non-papa *materialiter*, *concedo*; a non-papa mere *formaliter*, *nego*. Contradistinguo minorem et nego conclusionem. Ratio est quod, ut supra dixi, auctoritas duplex habet obiectum: unum, quod respicit lationem legum, et alterum, quod respicit continuitatem corporis Ecclesiæ. Auctoritas proprie loquendo, quæ est *ius legis ferendæ*, respicit primum obiectum, et provenit immediate ex Deo; ius autem designandi, quod non est auctoritas proprie loquendo, respicit alterum obiectum, et provenit ex Ecclesia. Atqui ille qui ad papatum electus est auctoritatem accipit statim post acceptationem electionis, *nisi obicem ponat ad auctoritatem accipiendam*, ut supra dixi. Ergo fieri potest ut ille qui ad papatum electus sit ius designandi accipiat quod continuitatem corporis Ecclesiæ respicit, neque auctoritatem accipiat quæ lationem legum respicit. In tali casu papa electus (i.e., papa mere materialiter) legaliter et valide electores paparum designet, sed non legaliter vel valide leges ferat. Et talis est casus “paparum” conciliarium, qui ergo electores paparum, etiam Novi Ordinis, valide et legaliter designant.

X. Qui non est membrum Ecclesiæ non potest esse eius caput. Atqui “papæ” conciliares non sunt membra Ecclesiæ. Ergo non possunt eius esse caput.

Resp. Distinguo maiorem. Qui non est membrum Ecclesiæ, non potest esse eius caput *formaliter, concedo*; non potest eius esse caput *materialiter, nego*. Ratio est quod esse caput materialiter, ut supra dictum est, involvit solummodo designationem ad papatum accipiendum; forma autem, id est auctoritas exigit ut designatus sit membrum Ecclesiæ. Exempli gratia, Sanctus Ambrosius recepit designationem ad episcopatum mediolanensem dum *catechumenus* (ergo non-baptizatus et extra Ecclesiam) adhuc est. Si baptismum recusasset, non potuisset auctoritatem accipere, sed remansisset episcopus-electus quoad hæc designatio ei ablata fuisset. Sed etiamsi quis velit reicere hoc argumentum, necesse erit distinguere minorem: “papæ” conciliares non sunt membra Ecclesiæ *coram Deo et in re, concedo* ut probabile tantum, inquantum solum *probabiliter* sunt pertinaces in hæresi; non sunt membra Ecclesiæ *coram lege, nego*, inquantum eorum pertinacia in hæresi nec probatur nec præsumitur a lege. Tota vis obiectionis dependet ex possibilitate probandi pertinaciam eorum, quod, deficiente declaratione Ecclesiæ, difficillimum est. Insuper si dubitetur de pertinacia seu imputabilitate eorum, præsumptio stet pro reo, et argumentum collabatur.

Instantia: Etiam hæretici qui errant bona fide non sunt membra Ecclesiæ.

Resp. Distinguo: hæretici *qui nati sunt in sectis acatholicis*, qui errant bona fide, non sunt membra Ecclesiæ, *concedo*; hæretici autem *qui baptizati sunt in Ecclesia Catholica*, qui errant bona fide, non sunt membra Ecclesiæ, *nego*. Hæc distinctio *maximi momenti* est, et illi qui eam non faciunt in magnam confusionem cadunt. Ratio est quod ii qui baptismum catholicum receperunt sunt legaliter membra Ecclesiæ donec cessent vel per (1) hæresim pertinacem et notoriam, (2) schisma, pertinax et notorium, (3) apostasiam pertinacem et notoriam, (4) excommunicationem. Tria priora involvunt pertinaciam; ergo non valent in argumento. Excommunicatione aut est *latæ sententiæ* aut *declarata*. Si prior, argumentum non valet, quia censuræ contra hæresim requirunt imputabilitatem (i.e., pertinaciam) notoriam. Si autem excommunicatio declarata est, argumentum valet. Si non declarata est, argumentum non valet. Atqui excommunicatio non declarata est. Ergo argumentum non valet. Ii qui nati sunt in sectis acatholicis, etiamsi errant bona fide, *præsumuntur* legaliter pertinaces esse, et ergo sunt extra Ecclesiam legaliter, etiamsi possunt esse membra Ecclesiæ in voto.

Instantia: Canon 2200 § 2 præsumit imputabilitatem, posita externa legis violatione.

Resp. Petatio principii. Citare hunc canonem circulosum est, quia violatio legis in casu hæreseos *requirit pertinaciam*. Lege legem: (canon 1325 § 2): *Post receptum baptismum si quis, nomen retinens christianum, pertinaciter aliquam ex veritatibus fide divina et catholica credendis denegat aut de ea dubitat, hæreticus; si a fide christiana totaliter recedit, apostata; si denique subesse renuit Summo Pontifici aut cum membris Ecclesiæ ei subiectis communicare recusat, schismaticus est*. Ergo non est externa violatio legis ubi non est externa pertinacia. Sed etiamsi quis vult applicare canonem 2200 § 2, præsumptio imputabilitatis in violatione legis contra hæresim nihil valet sine declaratione Ecclesiæ, quia præsumptio debet cedere factis. De facto autem non est certum hos “papas” hæreticos pertinaces esse, nec est auctoritas competens vel tribunal quod factum pertinaciæ declarare possit. Totum argumentum laborat ex difficultate probandi vel etiam præsumendi pertinaciam. Aliis verbis, cum auctoritas deest, vel cessat operari, evadit confusio, et certitudo in rebus legalibus fit difficillima, si non impossibilis. Hoc argumentum descendit semper in argumentum de pertinacia horum “paparum,” ex quo, meo quidem arbitrio, non est exitus.

XI. Thesis absurdā est quia asserit aliquem eodem tempore esse et non esse papam.

Resp. Qui ita obiciunt distinctionem realem inter actum et potentiam non intelligunt, nec distinctionem inter non-ens simpliciter et ens in potentia. Consulant manualia philosophiæ aristotelico-thomisticæ.

XII. Thesis nullum fundamentum habet in iure canonico.

Resp. Nego. Si quārēs in quāstionib⁹ de vacantia officiorū ecclesiasticorū, invenies distinctionem inter officia quāe vacant (1) de iure et de facto; (2) de iure sed non de facto; (3) de facto sed non de iure. Thesis tenet officium papatus vacare de facto sed non de iure *hoc sensu*: Ioannes Paulus II de facto non possidet officium papatus, sed possidet *ius* in papatu, deficiente constatazione contraria ab auctoritate competente.¹⁴ Aliis verbis: est titularis legalis papatus, sed possessionem non habet quia obicem ponit ad accipendam auctoritatem.

APPENDIX I
DUÆ LINEÆ
QUIBUS FACILE THESIS INTELLIGATUR.

IOANNES PAULUS II:

(*N.B.: These two “lines” should be set up and read side by side*).

LINEA FORMALIS

1. Non est papa formaliter
2. Non possidet auctoritatem papalem.
3. Non est papa simpliciter.
4. Non potest legem ferre.

¹⁴ Est dit vacant l'office dépourvu de titulaire ou de possesseur. Le can. 183 § 1 énumère les cas de vacance: décès, renonciation, privation, amotion, translation, échéance du délai fixé par l'acte de provision. La diversité même de ces causes permet de distinguer plusieurs sortes de vacances. L'office peut être vacant *plene*, c.-à-d. *de iure* et *de facto*, ce qui arrive quand il n'y a ni titulaire, ni possesseur actuel par suite de décès; — il peut être vacant *minus plene*, ou *de iure tantum*, non en fait, quand il n'y a pas de titulaire légitime, mais se trouve aux mains d'un possesseur actuel dépourvu de titre; — il peut enfin être vacant *improprie*, c.-à-d. en fait, non en droit, lorsqu'il a un titulaire régulier, mais qui n'est pas en possession, soit qu'il ait perdue, soit qu'il n'ait pu encore prendre ladite possession. Tel serait le cas du curé non encore mis en possession.

La provision d'un office vacant de droit seulement ne peut être faite que moyennant la réalisation des conditions suivantes : la vacance doit être signifiée dans une déclaration conforme aux prescriptions du droit, et qui montre que le possesseur actuel de l'office est dépourvu de titre légitime; — mention de cette déclaration doit être faite dans l'acte de provision du nouvel officier (can. 151) R. Naz, art. "Offices ecclésiastiques," *Dictionnaire de Droit Canonique* (Paris: Letouzey et Ané, 1957). Tome VI, col. 1086 & 1087. [Can. 151 probabilissime non pertinet ad provisionem papatus, sed hic canon demonstrat principium generale: auctoritas competens debet agnoscere *legaliter* officium vacare.]

5. Est hæreticus formaliter in re et coram Deo (si est pertinax)
6. Non est membrum Ecclesiæ in re et coram Deo (si est pertinax)
7. Tacite renuntiavit officium in re et coram Deo (si est pertinax)

LINEA MATERIALIS

1. Est papa materialiter.
2. possidet ius in papatu.
3. Est papa secundum quid.
4. Potest designare alios ad officia.
5. Est hæreticus materialiter
(quia imputabilitas nec est notoria
nec declarata)
6. Est membrum Ecclesiæ coram lege Ecclesiæ (quia imputabilitas nec est notoria
nec declarata)
7. Tacite non renuntiavit officium (quia imputabilitas nec est notoria
nec declarata)

APPENDIX II

CONFIRMATIO THESEOS EX SCRIPTIS THOMÆ DE VIO CARDINALIS CAIETANI

DE COMPARATIONE AUCTORITATIS PAPÆ ET CONCILII, c. XX.

Præmissa certitudine trium, scil. quod Papa ex hoc quod factus est hæreticus, non est ipso facto, divino aut humano iure, depositus, et quod Papa non habet superiorem in terris, et quod Papa, si a fide deviat, deponendus est, ut in cap. *Si Papa*, XL D., magna restat ambiguitas, quomodo et a quo iudicabitur Papa deponendus quod sit depositus, cum iudex, in quantum iudex, sit superior eo qui iudicatur. Unde Apostolus ad Rom. XIV, [4]: “Tu, inquit, quis es, qui iudicas alienum servum? Domino suo stat aut cadit.” Et S. Thomas in IIa IIæ, q. 67 determinat quod iudex non potest nisi subditum iudicare, et in Decretis D. XXI, cap. *Inferior* dicitur.

Si namque a Concilio universalis iudicandus deponendusque est, statim sequitur quod Papa, manens Papa, habet concilium universale supra se, saltem in casu hæresis. Si autem nec Concilium, nec Ecclesia est supra ipsum, statim sequitur quod Papa devius a fide sit iudicandus et deponendus, et tamen a nullo est iudicandus et deponendus, quod est ridiculum. Quid ergo dicemus, ut evitemus utrumque extremum? Non est quo divertendum sit nisi ad medium, quod difficile attingitur: in cuius attinctione consistit virtus, quod multas consuevit solvere quæstiones.

Dicamus igitur quod sunt duæ viæ extremæ et ambæ falsæ: altera est, quod Papa factus hæreticus est ipso facto, divino iure, absque humano iudicio, depositus; altera est quod Papa, manens Papa, habet supra se in terris superiorem potestatem, a qua potest deponi.

Media autem via est adhuc duplex: altera dicens quod Papa, licet absolute non habeat superiorem in terris, ipse tamen in casu hæresis habet superiorem in terris Ecclesiam universalem. Altera dicens quod Papa nec simpliciter nec in casu

habeat superiorem in terris, sed subest potestati ministeriali universalis Ecclesiæ quoad solam depositionem.

Prima via fundatur in virtute coactiva et iudicativa Ecclesiæ super Petrum Papam in casu hæresis : oportet enim subditum esse qui iudicatur et cogi posse. Et hæc est via communis quantum hactenus vidi.

Contra tamen hanc viam est: quia, cum Papa divino iure sit supra Concilium et Ecclesiam, ut ostensum est, oportet, si in aliquo casu est illi subditus, ex divino iure sit facta exceptio ista. Nullum enim aliud inferius ius potest exceptionem hanc facere, ut patet. In divino autem iure non exprimitur subiectio, sed separatio, cum casus hæresis excipitur, ut patet in singulis textibus sacræ Scripturæ inductis : Num. XVI, [26] dicitur : "Recedite" ; ad Gal. I, [8] : "Anathema" id est : separatum sit; 2 ad Thess. III, [6]: "Subtrahatis vos"; 2 ad Cor. VI, [7]: "Nolite iugum ducere"; 2 Ioan. II, [1]: "Noli recipere, nec e AVE dixeritis" ; ad Tit. III [10]: "Devita." Et breviter nullibi invenio superioritatem et inferioritatem in casu hæresi ex divino iure, sed separationem. Constat autem quod separare se potest Ecclesia a Papa sola ministeriali potestate qua potest ipsum eligere. Non igitur ex hoc quod divino iure sancitum est ut hæreticus vitetur et procul sit ab Ecclesia, maiori potestate opus est quam ministeriali: ex quo ipsa sufficit et eam constat in Ecclesia.

Et confirmatur hoc: quia non est iuri divino tribuendum quod nec expressum est in eo, nec ex expressis necessario sequitur. Potestas autem supra Papam in casu hæresis proprie loquendo non habetur in divino iure, nec ex ipso necessario sequitur: ergo. Probatur minor: quod enim non habeatur, puto patere legenti. Dico enim: puto, quoniam imminens schisma opusculum hoc intra duos menses fieri impulit ex improviso. Quod vero non sequatur, patet ex eo quod, quia non oportet multiplicare entia sine necessitate, melius est unum principium quam plura facere. Ex quo igitur potestas ministerialis sufficit, alia opus non est.

Erit ergo media et vera via, quod Papa factus hæreticus et perseverans habet in terris potestatem non superiorem se, sed ministeriale ad sui depositionem.

Ad cuius evidentiam altius ordiendo, tria præmittenda sunt: primo, quod in Papa inveniuntur tria, scilicet: papatus, persona, quæ est Papa, puta Petrus, et coniunctio utriusque, scil. papatus in Petro, ex qua coniunctione resultat Petrus Papa.

Secundo, quod discernendo et applicando proprias causas suis propriis effectibus invenimus, quod papatus est a Deo immediate, Petrus a patre suo, etc. coniunctio papatus in Petro, post Petrum primum a Christo immediate institutum, non est a Deo, sed ab homine, ut patet: quia hoc fit per electionem hominum.

Concurrit autem duplex consensus humanus ad causandum hunc effectum, scil. eligentium et electi: oportet enim electores voluntarie eligere et personam electam acceptare electionem, alioquin nihil fit. Est ergo coniunctio papatus in Petro non a Deo immediate, sed mediante, ministerio humano, tam ex parte electorum quam ex parte electi. Nec se habet huiusmodi ministerium humanum in causando hanc coniunctionem ut applicans activum passivo, ut applicans ignem stipple, vel applicans virtutem passionis Christi subiecto, ut facit baptizans et sacramenta ministrans, quoniam nullum est hic applicatum activum, sed sola voluntas humana electorum et electi: non facile esset fingere aliud activum.

Ex hoc autem quod coniunctio papatus cum Petro est effectus voluntatis humanæ, cum ipsa constituat Petrum Papam, sequitur quod, licet Papa a solo Deo dependeat in esse et fieri, Petrus tamen Papa dependet etiam ab homine in fieri. Fit enim Petrus Papa ab homine, dum, ab hominibus electus, ipse homo acceptat, et sic iungitur Petro papatus.

Tertio, quod, quia iam nihil tam naturale est ut unaquæque res per quasdam causas fit, per easdem contrario modo dissolvatur, ut dicitur in cap. *Omnis, de regulis*

iuris, idcirco Petrus Papa, qui ex consensu suo et electorum causatus est, ex consensibus eisdem, scil. suo et electorum, ad contrarium dissolvi potest. Et hoc iam determinatum est facto Cœlestini [V] et Decretali Bonifacii VIII, in VI^o, *de renunciatione*, cap. I.

Ex his tribus præmissis habetur primo absque hæsitatione certum, quod Petrus Papa, et in fieri et in corrumpi, dependet a potestate humana, non superiore nec æquali potestati Papæ, sed minore; quia nec ad faciendum de Petro non Papa, Petrum Papam nec ad faciendum de Petro Papa Petrum non Papam, exigitur alia facultas quam voluntatis humanæ, scil electi et electorum. Nec sit curæ in proposito utrum bona vel mala conscientia, ex bona vel mala intentione vel causa moveantur: sat est in proposito quod facta tenent, ita quod in veritate Petrus sit aut non sit Papa.

Quod etiam ista potestas sit minor potestate Papæ, absque alia probatione ex eo liquet quod mortuo Papa, nullo etiam præsupposito statuto iuris positivi, ista potestas est in Ecclesia et non se extendit ad ea ad quæ se extendit Summi Pontificis auctoritas: alioquin essent duæ supremæ potestates in Ecclesia, et Christus non instituisset ecclesiasticum regimen monarchicum. Et cum par in parem non habet imperium, non potuissent Pontifices huic potestati executionis modum imponere, per quos, quot scilicet et quomodo debeat electio celebrari, cum irritatione actus, si secus factum fuerit. Hæc enim ostendunt potestatem hanc nec minorem, nec parem, sed inferiorem potestate Papæ; superioris namque virtutis est disponere de actu inferioris auctoritative, ita quod si secus fiat nihil valeat, ut in proposito invenitur.

Habetur secundo certo certius, quod aliud est posse supra coniunctionem Petri et papatus construendam seu destruendam, et aliud est posse supra Papam. Ex eo namque quod potestas minor papatu, scil. simplex voluntas electi et electorum potest construere et destruere hanc coniunctionem, et huiusmodi potestas cum sit minor papatu, non potest supra Papam, manifeste convincitur quod aliud est posse supra illam coniunctionem et aliud est posse supra Papam. Unde potestas supra Papam non invenitur nisi in Domino Iesu Christo, potestas autem supra coniunctionem papatus et Petri invenitur in terris, et merito, quia papatus opus Dei immediate est, coniunctio autem papatus et Petri opus nostrum.

Nec mireris tu, qui philosophum profiteris, quod inveniatur potestas supra coniunctionem formæ cum materia, quæ non est supra formam, quia coniunctio formæ cum materia formam consequitur. Cessabit admiratio tua, si contemplatus fueris quod coniunctio formæ et materiæ utrinque attingi potest, scil. ex parte materiæ et ex parte formæ, et quod potens super coniunctionem formæ et materiæ ex parte utriusque seu ex parte formæ, potest etiam supra formam, sed potens super coniunctionem illam ex parte materiæ non oportet quod possit supra formam, ut patet in generatione hominis. “Sol enim et homo generat hominem,”¹⁵ qui consistit in coniunctione corporis et animæ intellectivæ, aut resultat ex illa coniunctione, et constat solem et hominem non posse supra animam intellectivam quæ venit de foris, sed supra coniunctionem illam ex parte corporis, quæ est materia. Sic enim accidit in proposito: nam papatus et Petrus se habent ut materia et forma, et solus Dominus Iesus Christus potest super coniunctionem eorum ex parte papatus, et consequenter utriusque, et propterea solus potest limitare et ordinare potestatem Papæ; Ecclesia autem potest super coniunctionem eorum ex parte Petri solum, et propterea nihil potest super Papam, sed super coniunctionem tantum.

Et quoniam amotio Papæ, sive per renuntiationem, sive per depositionem, sive per ejectionem, non est corruptio papatus, nec Petri, sed coniunctionis papatus et Petri, idcirco diligentissime et cautissime oportet pro regula habere ante mentis

¹⁵ Iuxta Aristotelem, *Phys.*, II, 2.

oculos cum de amotione Papæ tractatur, quod non requiritur potestas superior Papæ, sed superior coniunctione inter Petrum et papatum.

Quod ut clarius pateat, scito quod certum est quod tribus modis potest Petrus Papa vivens amoveri a papatu: primo, per electionem a Domino Iesu Christo; secundo, per renuntiationem spontaneam a seipso; tertio, per depositionem invitam, propter incorrigibilem hæresim, ab Ecclesia. In omnibus autem his modis non desinit papatus nec Petrus, sed sola coniunctio utriusque, differenter tamen.

Quia in primo modo, scil. per electionem a Domino Iesu Christo, coniunctio illa corrumpitur a potestate superiori non solum respectu coniunctionis, sed respectu papatus: est enim auctoritas Domini supra coniunctionem illam etiam ex parte formæ. Et quia, ut dictum est, nulla alia potestas est supra Papam, ac per hoc nulla alia potestas potest coniunctionem illam attingere ex parte formæ, consequens est ut nulla alia potestas possit amovere Papam, ut potestas superior Papa, sed hoc est proprium Salvatoris nostri.

Et hoc modo intelligendum est dictum Anacleti Papæ, D. LXXIX, *Electionem*, dicentis: "Electionem Summorum Pontificum sibi Dominus reservavit." Differentia namque inter Papam et alios Pontifices in hoc consistit quod alii Pontifices possunt eici tamquam a potestate superiori ipsis potestatibus Pontificum, Papa autem non, quia in Ecclesia terrestri invenitur potestas supra potestatem iurisdictionalem episcopi, non autem supra potestatem Papæ. Ex hoc autem habetur quod illorum electionem Dominus concessit Papæ concedendo potestatem superiorem, Papæ vero electionem sibi reservavit, nulli concedendo potestatem superiorem papatu. Unde si Papa Ioannes episcopum de plenitudine potestatis eiceret, electus esset, nec haberet amplius potestatem iurisdictionis. Nulla autem potestas in Ecclesia relicta est a Domino, quæ possit hæc facere in Petrum Papam.

In secundo autem modo, scil. per renuntiationem, et tertio, scil. per depositionem, coniunctio illa corrumpitur, non a potestate supra papatum, sed a potestate supra coniunctionem solam, quia nec voluntas Petri nec voluntas Ecclesiæ est supra papatum. et ex ipsis causatur coniunctio illa et corrumpitur, ut patet.

Quia ergo certum est Papam hæreticum incorrigibilem factum non esse ipso facto depositum et esse deponendum ab Ecclesia, et Ecclesiam non habere potestatem supra papatum, et Ecclesiam habere potestatem supra coniunctionem inter Petrum et papatum utpote opus suum, oportet dicere quod, cum Petrus Papa factus hæreticus incorrigibilis deponitur ab Ecclesia, iudicatur et deponitur e potestate superiori non papatu, sed coniunctione inter papatum et Petrum.